

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XX. Qualiter Ave Maria nostrae dominae commendatur.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

XX. QUALITER AVE MARIA NOSTRÆ DOMINÆ COMMENDATUR.

Ave cœli Imperatrix, Mater Dei, meaque præcordialiter dilecta Domina; suscipe, Domina, conserva tuum Ave ad laudem et gloriam, in delicioso conspectu Patris et Filii et Spiritus Sancti, quod tanta deliciositate vultui virginæ matris apertum revelatumque adstat, omnis beatitudinis plenum. Eia, Domina, hujus gocum omni meo desiderio, omnibusque precibus meis meminerim. Omnis mea pœna, necessitas, cordis molestia, meus honor, mea anima, novissimorumque meus finis, quando ab hoc lamentabili discedam exilio, illa, inquam, cuncta tuæ maternæ fidelitati sint commendata; tuæ virginali gloriæ, tuæ matronali bonitati sine intermissione commissa; insuperque illi omnes mecum qui tui meique in nomine Dei omnipotentis sunt amici. Præcordialiter dilecta Domina mea, nobilis imperatrix, Maria!

XXI. QUALITER SUUM COR HOMO DEBET VISITARE ANTEQUAM AD DEI MENSAM ACCEDAT.

Ame doceri cupitis, cum ego ipsa indocta sim; siquidem quod nunc postulatis, millies in vestris libris invenire potestis.

Quando ego misera illuc vado, corpusque Domini nostri accipere debeo, tunc animæ meæ faciem in speculo peccatorum meorum considero. Tunc me video qualiter vixi, et nunc vivo, et qualiter adhuc vivere volo; quo in peccatorum meorum speculo nihil quam vœ et iterum vœ reperio. Tunc ad terram prosterno faciem meam, gemitus lacrymasque ciens quam plurimos, quod ille æternus, incomprehensibilis Deus adeo sit bonus, ut se cordis mei ad impurum inclinet pulverem. Sic igitur recogito justitiæ magis fore consentaneum ut corpus meum ad patibulum tamquam fur traheretur, quia suum legitimum dominum ex illo projecit puritatis thesauro, quem in sacro baptisate mihi Deus contulerat: